



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XXI. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

PRæsentatæ in templo Deiparæ Virginis memoriam hodie agit Ecclesia, cujus officium à Pio V. P. expunctum, ut breviario restitueretur, P. Turriani S. J. industria effecit, pro qua id à Deipara præmium obtinuit, ut hâc die ad feliciorum, ut spes est, vitam emigraret. *Balingh.* Novis gratiis nova semper debetur pietas.

O Sanctissima Deo, Angelis, & hominibus dilectissima, parvula, Virgo amabilissima, quæ tenellam te Deo in templo præsentare voluisti, ut à teneris soli Deo vitam impenderes, da mihi hanc resolutionem, ut posthabitis omnibus me totum DEO dedicem, ut illi soli serviam; ab hodie usque ad agonem meum, & inde in æternum. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: singulas preces quotidie usque ad proximum Deiparæ festum hâc formulâ concludam: per S. præsentationem tuam te rogo, ut petita mihi impetres O MARIA.

Custodi nos Domina Virgo Maria, ne peccatorum laqueo capiamur. Non dormiat, neque dormitet pupilla oculi tui, ut sic semper custodiâ protegatur. *S. Bonav. ser. 120.*

Quæstio: Quoto anno in templo præsentata fuerit Deipara? *v. Barrad. to. 1. in Ev. c. 6.*